



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij  
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolviones  
Lectissimorum Casuum**

**Diana, Antonino**

**Antverpiæ, 1645**

M

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41753**

doceant Sanchez, Salas &c alij. 4. *ibid.*  
*ref. 1. & p. 5. tr. 5. ref. 5.* Nam hæc senten-  
tia neque speculatiuè, neque in praxi  
sustinenda est. *in addit. 5. p.*

21 Licet ex iustâ causâ locare domum  
meretrici, vel alicui pertenti ad forni-  
candum: quia locare domum est res per  
se indifferens, quæ ex solâ prauâ abu-  
tentis intentione ad malum ordinatur.  
Valent. & Salon. *p. 3 tr. 6. ref. 45.*

22 Scribentes & deferentes litteras ad  
mulierem, quibus ad peccatum inuita-  
tur, peccant mortaliter. Sanchez & alij  
& eti contrarium doceat Sà. *ibi. ref. 46.*

## M

## MALEFICIVM.

**L**icet petere à sagâ ut maleficium sol-  
uat, quando id potest sine novo ma-  
leficio, et si sciatur per maleficium fa-  
ctura. Sanchez & alij 4. *p. 5. tr. 7. ref. 15.*

## Matrimonium.

**M**atrimonium contractum inter  
infideles, non potest fieri verum  
Sacramentum, etiam si postea bapti-  
zentur. Tamen credere par est, Deum  
cujus-

eiusmodi conuersis maiorem gratiam impertiri ad ferenda onera matrimonij, quam infidelibus. Vasquez, Coninc & Pontius p.3. tr. 4. ref. 253.

2 Probabilius est matrimonium inter absentes contractum per procuratorem, vel per litteras coram Parocho, & testibus, esse Sacramentum: quare qui ita contrahunt, debent dare operam, ut sint in gratia eo tempore quo procuratores eorum nomine contrahunt: procuratores autem non est necessere esse in gratia, quia ipsi non suscipiunt Sacramentum. Sanchez & alij 5 ibid. ref. 250.

Inter fideles potest esse matrimonium, quod non sit Sacramentum, si contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tamquam rem sacram, sed tantum ut contractum. Vasq. & alij 3 ibid. ref. 255.

4 Materia & forma huius Sacramenti sunt verba contrahentium; quae quatenus contractum inchoant, habent rationem materiae, quatenus vero eundem perficiunt, habent rationem formae. Suarez & alij 3 ibid. ref. 251.

5 Contrahentes in peccato mortali, non committunt duplex peccatum, quatenus suscipiunt, & ministrant hoc

Sacramentum indignè : quia non sunt ad hoc ministrandum specialiter deputati. Sanchez & alij 9. *ibid. ref. 199.*

6 Matrimonium contrahi potest ultimo die quo completur legitima ætas. (Sanchez & alij.) imò sufficere si decem dies desint docet Ledesm. quod Rebell. ad unum etiam , aut alterum mensem extendit ; quòd is vulgariter finis anni dicatur: sed nimis largè. ante legitimam verò ætatem contractum , si malitia suppleat ætatem, est validum. Barbos. Sed sic contrahentes sine licentiâ Episcopi , & iustâ interueniente causâ, peccant mortaliter: (Hen. iq. & alij 8.) et si id neget Sanchez. *ibid. ref. 277. & 276. & p. 5. tr. 5. ref. 16.*

7 Tenetur Parochus vtrumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum : eius tamen omissio, quando constat vtrumque liberè consentire, est tantùm venialis. Sanchez & alij 2. Nec tenetur tamen interrogare de aliquo impedimento. *p. 3. tr. 4. ref. 294.*

8 Surdi & muti possunt matrimonium contrahere , modò sufficienter sint instructi, & cōfensum possint exprimere. Sanch. & alij 6. quòd si simul esset caecus, probabilius non posset; nam quomodo

modo talis instrui poterit? idemque dicendum est quoad professionem religiosam. Sanchez & alij. debet tamen talibus dari extrema vñctio. Nald. & alij. p. 5. tr. 6. ref. 9. 10. 34. & 11. Ceterum si quis matrimonium contrahat per signa, & nutus cum possit loqui, venialiter peccat. Sanchez & alij 2. et si nullam culpam agnoscat Pontius. part. 3. tr. 4. ref. 248.

9 Si procuratore mislo ad contrahendum, mandans in amentiam incidat, valet matrimonium: manet enim virtute prior consensus, sicut baptismus petitus ante amentiam, valide conferatur in amentiâ. Sanchez & alij 2. sed negat Pontius. *ibid. ref. 249.*

10 Quando adest scientia iuris, & error facti, ut quando coniuges falò credunt adesse impedimentum, & tamen contrahunt, potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia est quasi conditionatus, & conditio est de presenti. Si verò planè credunt subesse impedimentum, et si reuerà non subsit, matrimonium est nullum; quia impossibile est illos habuisse intentionem contrahendi, cum scirent se nullo modo posse. Pontius. *ibid. ref. 293.*

Cc 5 II Ma-

11 Matrimonium ex graui metu con-  
tractum, irritum est iure naturali. (D.  
Thom.& alij3.) neque tantum si quis  
cogatur ducere aliquam personam in  
particulari; sed etiam si tantum aliquā  
in genere. Pontius & alij 4. Idemque est  
de constitutione Procuratōris ad ma-  
trimonium contrahendum, si ex metu  
fiat. Pontius. p. 4. tr. 4. ref. 33.

12 Quando matrimonium ex graui  
metu contractum est , potest resilire is  
qui liber est à metu, modò ipse vim, aut  
metum non intulerit: quia nullam in-  
tulit iniuriam, quam teneatur per ma-  
trimonium resarcire. Sanchez & Villa-  
lob. p. 3. tr. 4. ref. 229.

13 Si deprehensus in stupro vel adul-  
terio offerat matrimonium cum puellā,  
vel cum aliquā consanguineā mariti-  
ne accusetur, vel prodatur Iusticiæ, va-  
lidum est : quia metus est iuste illatus.  
Secus autem si id faciat metu mortis  
interendæ à consanguineis , vel à viro.  
Is enim metus est iniuste illatus , cùm  
illi non possint occidere. Pontius. ibid.  
ref. 228.

14 Eilij non tenentur ad matrimon-  
ium quod ipsorum nomine parentes pro-  
miserunt. Imo & parentibus inuitis, &  
resisten-

resistentibus possunt hoc, vel illud contrahere, modo non ducant indignam. Hurtad. & alij 4. Quamvis tamen parentes coactione sufficiente ad mortale ad hoc rogant filios, non ideo incurruunt excomim. Conc. Trident. sess. 24. c. 9. Quia tantum loquitur de Dominis temporalibus, & magistratibus habentibus iurisdictionem in foro seculari. Quare nec Parochus, nec Episcopus cogentes, illam incurrerent. (Sanchez & alij 2.) Imò nec Reges, aut Imperatores; quia hi ob excellentiam dignitatis, deberent speciatimi exprimi. part. 4. tr. 4. ref. 132. & p. 6. tr. 7 ref. 21.

¶ Parentibus, qui filiis negant colloquium, quia se insciis indignum matrimonium contraxerunt, non est propterè neganda absolutione, si id faciunt non ex odio, sed ex iniusta vindicta ad alterius emendationem, & nec gravius, vel diutius, quam exigat mensura delis.

Et Layman. p. 4. tr. 4. ref. 182.

16 Matrimonium initum per verba de praesenti, sub conditione aliquâ honestâ, non sit validum post impletam conditionem, absque novo consensu, sed habet tantum vim sponsalium. Pontius & Gutierrez. p. 3. tr. 4. ref. 291.

17 Ad

17 Ad reualidandum matrim. sicut contractum, sufficit si fidei cōsentiens, post verē assensum præbeat, quocumque temporis spatio interiecto: neque opus est, ut coram Parochio & testibus iterum consentiat; supplendus est enim tantum defectus consensus interni. Sanchez & Gutierrez. Sed contrarium etiam probabile est, requiri scilicet ut veterque de novo consentiat. *ibid. ref. 291. & p. 5. tr. 13. ref. 87.*

18 Coniux ex infidelitate ad fidem conuersus, potest transire ad alias nuptias, quamvis alter in infidelitate persistens, velit pacifice cohabitare. Teneatur tamen infidelem monere, & inuite ad fidem, perentique certum tempus ad deliberandum concedere. Sanchez & Coninc. Quando vero coniux ita distaret, ut commode moneri non posset, (ut sit in iis qui ex Aethiopiam serui abducuntur) non erit opus illam monitione, quia est moraliter impossibilis. Sanchez & alij 3. p. 3. rr. 4. ref. 252. & 264.

19 Licet infidi, dissoluto semel matrimonio cum fidi, ad aliud transire: quia nullam legem prohibetur; non Ecclesiasticā, nam Ecclesiae non subest; non naturali Diuinā, quia prius matrimonium

nium supponitur dissolutum. Sanchez & alij 3. *ibid. ref. 263.*

20 Non obstante copulâ violenter extortâ intra bimestre , posse mulierem quæ vim passa est , viro renitente , ad Religionem transfire, affirmat Sanch. & Laym. Negat Pontius. *ibid. ref. 242.*

21 Post matrimonium consummatum uno coniuge ex consensu alterius Religionem ingrediēte, debet etiam alter ingredi, si sit iuuenis; si verò sit senex, potest in sèculo manere , emisso voto castitatis. *ibid. ref. 243.* Sufficit autem si ingrediatur Religionem Equitum Melitensium. (Pontius.) Dicitur verò senex ad hunc effectum , si femina sit quinquagenaria , aut vir sexagenarius, aut eam ætatem habeant, quæ ex prati valetudine illi ætati respondeat, ita ut à periculo incontinentiæ , ratione ætatis credantur abesse. Sanchez & alij 5. p. 4. tr. 4. *ref. 73.*

22 Ut maritus ex consensu vxoris facros Ordines suscipiat ; non est necesse ipsam religionem ingredi, et si sit iuuenis, satis est si castitatem voleat. Non potest tamen ad Episcopatum promoueri, nisi vxor religionem ingrediatur. Quod verum est , etiam si antè religio-

ne

nem fuisset ingressus; ipsa propter aetatem in saeculo vouente castitatem.  
(Pontius.) Sed hoc locum non habet in Cardinalatu, qui se habet sicut Sacri Ordines Sanchez. *ibid. ref. 129.*

23 Quando vxor de haeresi damnata fuit, et si postea sit conuersa, potest vir sine eius consensu, ad sacros Ordines promoueri. *Sanch. &c. alij 2.* Neque umquam tenetur coniux alterum semel legitimè de haeresi, licet occultè, damnatum, ad cohabitationem recipere. *Sanch. & alij 10 p. 6. tr. 7. ref. 25.*

24 Quando adulterium est occultum, ut probari ab innocentia non possit, potest ille non expectato Ecclesiæ iudicio, in foro conscientiae uxorem dimittere, secluso tamen scandalo. *Sanchez & alij 4.* Facto autem diuortio de sententiâ iudicis, innocens habet ius reuocandi ad se nocentem si velit, quatenus non potest inuitio, aut inconsulto innocentia ad Religionem transire, nec votum simplex castitatis emittere. *Pontius. p. 3. tr. 4. ref. 257.*

#### *Impedimenta.*

25 **Q**ui dubitat an aliquod impedimentum matrimonij habet, età sufficienti diligentia, potest contrahere

here sine dispensatione : quia possessio  
stat pro libertate contrahendi. Sancius.  
*p.4.tr.3.ref.17.*

26 Contrahere cum impedimento di-  
rimente non est duplex peccatum, trans-  
gressio scilicet iuris, & sacrilegium, pro-  
pter nullitatem Sacramenti. Sanchez &  
Filliarius *p.3.tr.4.ref.297.*

27 Impedimenta criminum sunt per  
diuturnam desuetudinem sublata. E-  
rant autem hæc: 1. vxoricidium. 2. Pre-  
sbytericidium. 3. matrimonium cum  
moniali scienter initum. 4. Si quis suam  
prolem de sacro fonte suscepit in fra-  
udem usus coniugalis. 5. Si quis ob pecca-  
tum publicam penitentiam agere de-  
buit. 6. Raptus sponsæ alienæ. 7. Ince-  
stus cum consanguineis coniugis ad-  
huc viuentis. Sanchez &c alij *ibid.*  
*ref.259.*

28 Tempore interdicti potest contra-  
hi matrimonium, & fieri denuntiatio-  
nes, etiamsi contrahentes sint speciali-  
ter interdicti; quia in illo interdicto non  
comprehenditur matrimonium, nisi  
exprimatur. Sanch. &c alij *ibid. ref.267.*

29 Non peccat qui scienter contrahit  
cum excommunicato, nisi sit denun-  
tiatus, aut notorius percussor clerici.

San-

416 Matrim. impedimenta.

Sanchez & Gutierrez. *ibid. ref. 268.*

30 Matrimonium Catholici cum heretica, etiam cum periculo peruersonis est aliquando licitum ob grauem aliquam causam. Pontius &c. alij 7. *ibid. ref. 269.*

31 Non potest validè matrimonium contrahi, etiam urgente necessitate, si ne Parocho, & testibus; ut si morti vicinus vellet concubinam ducere, ad legitimandam prolem: potest tamen parochus in hoc casu omittere denuntiationes. Layman. *ibid. ref. 234.* & p. 5. tr. 3. ref. 98. Imò matrimonium contractum sine praesentiâ Parochi, & testium, neminem quidem habet sponsalium & si intercesserit iuramentum, nihil est opus absolutione. Ledesm. & alij 3. p. 3. tr. 4. ref. 258.

32 Qui habitant in parochiâ vbi Tridentinum est promulgatum, si alio proficiscantur vbi promulgatum non est validè ibi contrahunt clandestinè, et si illo fine eò proficerentur. Sanch. & alij 3. Sed suppositâ declaratione Cardinal. quam adfert Zypæ. puto à contrariâ sententiâ non recedendum. Qui tamen in terris infidelium habitant, possunt validè contrahere sine pa.

parocho; cum is ibi desit Pontius. Idem est de locis vbi Concilium promulgatum est, sed expulsis Sacerdotibus Catholicis desunt proprij parochi. Laym & Bauny p. 6. tr. 7. ref. 29. & 30.

33 Suspensio triennalis à iure antiquo statuta in parochum assistentem matrimonio clandestino, sublata est per Trid Sanch. & Hurtad p. 5. tr. 10. ref. 33.

34 Denuntiationes faciendæ sunt invtriusque parochiâ in quâ diutius versatisunt, & domicilum habuerunt. Sanchez & alij 5. p. 3. tr. 4. ref. 235. Sunt autem faciendæ tribus diebus festiuis, nō tamen continuis, sed duorū, vel triunt dierum interuallo. Omittere autem unam ex tribus denuntiationibus, non est peccatum mortale. (Sanch. & alij 3.)

Sed Episcopus, eiusque Vicarius, si Episcopus sibi non referret, ordinariè dispensare possunt, ex iustâ causâ. Sanch. & alij 3. ibid ref. 236. 237. 238. & 239.

35 Neminem ex vi denuntiationis teneri detegere impedimentum occultum quod ipse solus novit, nec potest

418 Matrim. impedimenta.

probare: imò etiam si detegat, ex eius folius testimonio non posse matrim. ab Ordinario interdici, docet Pontius. Sed alij communiter contrarium docent. Sanchez & alij 19. *ibid. ref. 221.*

36 Parochus excomim. non toleratus licet benedicens sponsos videatur peccare, quia exercet actum iurisdictionis; quia tamen res est parui momenti, nō excedit culpam venialem. Sanchez & Villalob. *ibid. ref. 233.*

37 Matrimonium in parochiā sponsa contractum coram Parocco sponsis est validum. Sanchez & alij 2. An autem hic Parochus qui in alienā parochiā coniungit suum parochianum, peccet mortaliter, & sit puniendus: utrumque probabiliter, negat Sanchez & Villalob. affirmat Pētius & Henrīq. *ibid. ref. 232.*

38 Sponsi rus profecti recreationis causā, non possunt ibi matrimonium contrahere; quia non contraherent coram proprio Parocco, vel de Parochi licentiā: Barbosa & alij 2. *ibid. ref. 231.*

39 Quantumcumque aliquis claustra pudoris frangat, nisi commixtio feminum sequatur, ita ut etiam femina feminarit, non contrahitur affinitas, nec censetur consummatum matrimonium,

nium. Hurtad. & alij 6. quæ sententia est tuta in praxi. sicut & probabile est per copulam fornicariam non contrahiri affinitatem iure naturali: quare si Christianus habuit copulam cum infidelis, poterit deinde sibi matrimonio iungere illius sororem. Sanchez & alij 3. *ibid. ref. 262.* & *tr. 5. ref. 19.* & *in addit. 3. p. ref. 21.*

40. Si quis emittat semen post extractum è vase naturali membrum, quamvis postmodum casu illabatur in vas naturale, nulla resultat affinitas. Sicut nec si semen ope dæmonis deferratur in uterum feminineum. Pontius, *p. 3. tr. 5. ref. 19.*

41. Matrimonium in primo gradu affinitatis linea recta, ut inter socium & nrum, inter vitricum & priuignam, &c. non est irritum iure naturæ. Sanchez & alij 33. Imò neque in primo gradu consanguinitatis linea transuersa, ut inter fratrem & sororem. Pontius. Hurtad. & alij. Quare occurrente necessitate possit Pontifex dispensare. *p. 4. tr. 4. ref. 93.*

42. Ex matrimonio rato, & non consummato non oritur impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis. Sach.

D d 2 . 8c

420 Matrim. impedimenta.

& alij 10.p.6.tr.8.ref.25. Ex sponsalibus autem mutuo consensu dissolutis, nullum oritur impedimentum publicæ honestatis. Pontius & alij 3.p.3.tract.4. ref.222.

43 Adulterium cum promissione fictâ contrahendi post obitum viri, non est impedimentum ; sed debet promissio fieri & ex animo fieri, esseque mutua & pura, aut saltē ante mortem purificata. Layman & alij 2.ibid.ref.198.

44 Quando quis rapuit virginem libidinis causâ, ab iisque intentione contrahendi matrimon. potest cum eâ validè contrahere: quia decretum Trid. tantum comprehendit raptum qui sit matrimonij causâ. Imò loquitur de eo raptu per quem vis infertur pueræ, non autem parentibus. Sanchez &c alij. ibid.ref.261.

45 Quando est impropositio inter virum, & vxorem, quia vxor est nimis arcta, si ille defectus est naturalis ob extraordinariam arctitudinem, tenetur illa pati incisionem, modò non sit periculum ne inde sequatur mors, vel infirmitas grauis; quia defectus ab ipsâ prouenit. Si vero defectus prouenit ex viro, quia membrum habet nimis im-

pro-

proportionatum, vel minus rigidum, vxor non tenetur pati incisionem, et iam si absque periculo fieri possit: quia cum defectus sit viri, ad ipsum pertinet uti remedio. Vnde si vir post trium annorum conatum, non potuit claustræ perrumpere, probabile est matrimonium esse dissoluendum. Si qui autem Canones videntur huic sententie adversari, intelligendi sunt de defectu qui prouenit ex muliere, non autem ex viro. Pontius, Ledesm. Hurtad. ibi ref. 201. Et in addit: 3. p. ref. 3.

46 Probabile est, impotentes posse cum impotentiâ perpetuâ validè inter se contrahere matrimonium in ordine ad castè viuendum. Pontius. Sed contraria sententia communis est, & probabiliors. p. 4 tr. 4. ref. 75.

47 Impedimenta matrimonij per Trident. sublata, censeri etiam sublata in prouincijs vbi illud non est promulgatum, docet Malder. & alij 2. sed eius resolutionem puto à Pontifice vel Sac. Congregatione petendam. part. 6. tr. 8 ref. 26.

Vide Nuptie.

D d :

M

*Medicus.*

**M**edicus si medicamentum habet certum, tenetur ex caritate, & iustitiâ illud applicare: si minùs, potest sequi opinionem probabilem. Salas & alij 4. quando autem æger est desperatus, potest adhibere etiam illud quod est probabilius nocitum, modo aliud non suppetat, & verè probabile sit, profuturum. Malder. & alij p. 2. tr. 13. ref. 7. & p. 5. tr. 3. ref. 132.

2 Si æger versetur in probabili mortis periculo, & monitus nolit confiteri, non est propterea post tertiam diem à medico deferendus. Imò quando creditur certò monitionem nihil profaturam ob ægri obstinationem, nec medicus tenetur eum admonere, nec deferere: nam in hoc casu non obligat Constitutio Pij V. Sanchez & alij 3. p. 3. tr. 4. ref. 93.

*Metus.*

**A**n contractus ex metu leui factus valeat in conscientiâ, necnē, in utramque partem probabiliter, hinc negat Sanchez & alij 2. inde affirmat Boncius & Medin. p. 3. tr. 5. ref. 117.

z 60-

2 Solus metus reuerentialis, etiam sine minis, &c verberibus, cadit in constantem virum, quod valet ad rescindendos contractus, qui ut plurimum sunt ab uxoribus, & filiis familias ex metu reuerentiali; Idem est de precibus importantiis seorsim consideratis, & sine metu reuerentiali. Pontius & alij. ibid. ref. 20.

3 Contractus liberalis donationis, aut promissionis ex metu graui celebratus iure naturali, & positivo est invalidus. Idem dicendum de promissione latroni factâ propter metum iniustum; de renuntiatione beneficij, vel absolutione ab excomm. &c. Contractus autem onerosi ex metu graui celebrati, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validi sunt iure naturæ, probabile est etiam valere iure positivo: datur tamen actio metus causâ. Excepte contractum ludi, & alienationis rerum Ecclesiasticarum, qui metu facti non valent. Pontius & alij. ibid. ref. 118, & 119.

4 Qui malum aliquod minatur quod iustè potest inferre, etsi animum non habeat inferendi, licet retinet, que tali metu extorquet; quia saltēm habet ius inferendi, quod ius est pretio estimabi-

Ded. 4 le,

le, siue eo uti velit, siue non: Sanchez & alij 2.p.4.tr.4.ref.34.

*Metus mortis.*

1] N obsidione ciuitatis, quando aliis cibus non suppetit, metu mortis licet carnibus humanis vesci: quia quod non est intrinsecè malum, fit licetum ob vitæ conseruationem. Sanchez & alij 7 p.3 tr.6.ref.48.

2. Metu mortis licet celebrare Missam sine altari, calice consecrato, aut vellibus sacris: modò id non fiat in cōtemptrum Religionis. Vasquez & alij 4. Itē licet contrahere matrim. cum impedimento dirimente; sine intentione ramen consummandi. Suarez & alij 4. Item licet Sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto. Bonacini & Nugn. Item confidere Sacramenta in materiâ dubiâ. Henr. & alij 2. cū enim h̄c non sint intrinsecè mala, ob grauem metum à peccato excusantur. *ibid.*

*Missæ auditio.*

1] **S**i quis die Dominico, in quem festum alicuius Sancti incidit, Missam non audiat; non est illa circumstantia

app

z &  
allus  
ortis  
quia  
fit li-  
San-  
issim  
velli-  
item-  
4. hē  
pedi-  
ne ta-  
lij 4.  
acha-  
sin. &  
ata in  
, cùm  
ala, ob  
intu-  
em fe-  
Miss  
tantu  
apo

aperienda , quia vnam tantum habet  
malitiam. Idem dic de ieunio , quod  
coincidit cum vigiliâ , & resacrâ è loco  
sacro ablata . Vasquez & alij 8.p.1.tr.7.

ref.22.

2 Qui audit sacrum animo non satis-  
faciendi præcepto , nihilominus satis-  
facit. Vasquez & alij 5. Idemque est de  
audiente sacrum ex voto : Sanchez. p.3.  
tr.6.ref 68. & 77.

3 Surdus & mutus tenetur Missam au-  
dire. Fagund. & alij 6.p.5.tr.6.ref 8. Pue-  
ri verò tunc tenentur , quando habent  
vsum rationis sufficientem ad p. m.  
Suar. & alij 5. et si perfectio:em vsum  
requirat Marchant. qualis scilicet debet  
esse ad sacramentum Eucharistie. p.5.  
tr 13.ref.77.

4 Qui habet pr:uilegium , in Orato-  
rio domus suæ Missam audiendi non  
tenerur ibi audire , quando est infir-  
mus , vel aliâ de causâ non potest exi-  
re. Suarez & alij 2.p.4 tr.4.ref.80.

5 Qui tempore pr:fationis venit ad  
templum , nec potest aliud sacrum au-  
dire , non teneri illam partem audire ,  
docet Sancius; quod per illam non pos-  
sit implere præceptum. Sed contrarium  
affirmant Suarez & Sanch. quod illa

D d 5 præ-

principua sit sacri pars. p. 3. tr. 6. ref. 69.

6 Quando festum Annuntiationis incidit in feriam 6. Parasceues , non est obligatio audiendi Missam illius diei. Quia non est propriè sacrificium, cùm non fiat nouæ hostiæ consecratio. Suarez & alij. 8. p. 2. tr. 14. ref. 62.

7 Satisfacit præcepto qui Missam audi in quocumque oratorio etiam priuato , dummodo id non fiat in contemptum proprij parochi. Azor. & alij. p. 6. tratt. 8. ref. 40. Qui autem domi, v.g. è regione fenestræ , vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non est moraliter presens , vt satisfaciat præcepto. Filiuc & Portel. p. 4. tr. 4. ref. 154.

8 Qui audit Missam ab Euangelio exclusuè , satisfacit præcepto. Lugo & alij 7. nec necesse est Euangelium per te priuatim legas. Imò qui ab offertorio audiunt, durum censem Laym dampnare peccati mortalis ibi. ref. 196. & p. 5. tr. 5. ref. 44 & tr. 14. ref. 70.

9 Qui tempore consecrationis à Missâ abesset, satisfacere potest præcepto, si reliqua audiat; quia non est certum in illâ consistere essentiam sacrificij, sed non potest satisfacere , qui abesset tempore consecrationis simul & sumptio-

ptionis Lugo & alij. p 5. tr. 13. ref. 61.  
10 Videtur satisfacere præcepto au-  
diendi Missam qui eodem tempore au-  
dit vnam medietatem ab uno, & alte-  
ram ab alio ; quia Ecclesia tātūm præ-  
cipit ut Missa audiatur: duæ autem me-  
diates Missæ constituunt vnam Mis-  
sam (Azor. & alij 3.) quemadmodum  
ille satisfacit qui cūm debeat siue ex  
voto, siue ex pœnitentiâ duas Missas  
audire, eas simul audit, dum eodem  
tempore celebrantur. Sanchez & alij  
3.p.2. tr. 17. ref. 8 & p.5. tr. 14. ref. 52. & 71.

*Missæ celebratio.*

1 **S**acerdos cæcus valide potest con-  
secrare, sed peccaret grauiter si id  
faceret sine dispensatione Pontificis.  
Coninc & alij 3.p. 5. tr. 6. ref. 17.

2 Probabile est Sacerdotem nullo ini-  
pedimento prohibitum non peccare  
mortaliter non celebrando , modò  
communicet in Paschate , nec adsit  
scandalum, aut contemptus. Bonacini.  
& alij 3.p. 2. tr. 14. ref. 19.

3 Parochus debet diebus Dominicis,  
& festis quibus populus tenetur audi-  
re Missam , celebrare per se , vel per  
alium.

alium. Non tenetur tamen pro populo  
Missas applicare, ac proinde potest sine  
scrupulo stipendum pro illis Missis  
accipere Sylu. & alij. *ibid. ref. 26.* Sed cō-  
trarium iam determinauit Sacra con-  
gregatio *p. 4 tr. 4. ref. 232.*

4. Sacerdos qui tenetur quotidie cele-  
brare ratione beneficij , tenetur etiam  
Missam pro fundatore applicare , eis  
non constet hunc id exegisse; nam ex-  
egisse presumendus est. Bonacin. & alij.  
4. Contrarium tamen docet Marchin.  
sed an probabiliter, alij iudicent, mihi  
enim non placet. *p. 6. tr. 6. ref. 13.* Potest  
tamen in hebdomadâ vnam Missam  
omittere , non tamen eo die Missam  
pro alio celebrare accepto stipendio.  
Potest tamen aliquoties per annum,  
putâ quater vel sexies, ex aliquâ neces-  
sitate pro se ipso celebrare , vel pro ali-  
quo sibi coniuncto: id enim non vide-  
tur alienum à mente Fundatorum.  
(Naldus & Homobon.) Similiter po-  
test pro aliquo particulari defunctori  
celebrare in die Commemorationis  
omnium fidelium defunctorum. De  
Leone. Neque in die Natiuitatis Domi-  
ni tenetur tres Missas applicare Fun-  
datori , sed vnam tantum. Fraxinell.

P. 41

pulo  
t sine  
missis  
d cō-  
con-  
cele-  
tiam  
et si  
exe-  
calij  
chin.  
michi  
otest  
ssam  
ssam  
dio.  
um,  
ecel-  
o ali-  
ide-  
um.  
po-  
nēto  
onis  
De  
omi-  
fun-  
nell.  
R.41

p.4 tr.4.ref.86. & p.2.tr.14.ref.28. & p.5.  
tr.13.ref.51.

5 Sacerdos obligatus ad celebrandum  
in certo templo, vel altari, peccat mor-  
taliter alibi celebrando, nisi paruitas  
materiae excusat, si v.g. bis t̄rve in an-  
no in hoc altari non celebret; non ta-  
men tenetur ad restitutionem, nisi de-  
functos aliquo suffragio fraudauerit.  
Fagund. &c alij 6. p.2. tr.14. ref.29.

6 Sacerdos obligatus, ut celebret in  
certo altari priuilegiato pro defunctis,  
non satisfacit si in alio celebret cum  
calculo, v.g. D. Caroli Borrom. liberan-  
te animam ex purgatorio: aliud esset  
si tantum deberet celebrare in aliquo  
altari priuilegiato indeterminate. Ho-  
mōbon. & alij 3 p.4. tr.4. ref.40. & p.6.  
tr.6.ref.12.

7 In altari priuilegiato, nisi quis cele-  
bret Missam de *Requiem*, non suffraga-  
tur defunctis, nec satisfacit indulto, li-  
cet in indulto id non exprimatur. Ita  
sacra Congregatio. p.4. tr.4. ref.233.

8 Sacra rituum Congregatio statuit  
Missam de feria priuilegiata in Eccle-  
sias Cathedralibus, & Collegatis omittendam  
non esse post Nonam Ecclesie  
autem Regularium non censentur  
Colle-

Collegiatæ. Villalob. & alij 2. Item tenentur Prælati illarum Ecclesiarum procurare ut in ijs quotidie saltē vna Missa dicatur. Laym. & Filliuc. Negat tamen Victoria eius omissionem esse mortalem. p. 2. tract. 14. ref. 76. & p. 6. tr. 8 ref. 11.

9 Sacerdos qui die Dominico, vel alio festo celebrat aliam Missam votiuam, non peccat mortaliter. Suarez & alij 3. p. 2. tr. 14. ref. 30. Item qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virg. potest tamen illis diebus dicere aliam in Missali præscriptam. Fagundez & alij 9. ibid. ref. 30. & 31. Quod verum est, et si pro dicendâ illâ Missâ stipendum accepisset. Nauarra p. 3. tr. 6. ref. 62.

10 Si festum Annuntiationis incidat in diem Sabbathi maioris Hebdomadæ, possunt plures Missæ in Ecclesiis celebrari. Ledesm. & alij 4. p. 2. tr. 14. ref. 21.

11 Sacerdos in nocte Nativitatis si nolit tres Missas celebrare, potest hanc vel illam pro arbitrio dicere. Villalob. & alij 3 ibid. ref. 39.

12 Sacerdos cùm sacris vestibus se induit, si omittat orationes tunc dicendas non peccat mortaliter: quia non

est

est præceptum. Layman & alij 13. *ibid.* ref. 41. Neque si non obseruet rubricam vnam aut alteram Missalis. Secus si nullam seruaret, aut in rebus substâlibus Sacrificij delinqueret. Fagund. & alij. *ibid. ref. 55.* Hinc si quis aliis diebus dicat Missam de Assumptione, Natiuitate, &c. B. Virginis, non peccat mortali-  
tatem. *p. 4. tr. 4. ref. 39.*

13 Sacerdos si in Missâ maiori quæ canitur, non legat submissâ voce Epistolam, & Euangelium, non peccat. *Quia id non præcipitur.* Nauar. & alij. *p. 2. tr. 14. ref. 42 & p. 5. tr. 13. ref. 95.*

14 Sacerdos regularis si in Canone pronomine Episcopi reponat nomen sui Generalis, peccat mortaliter. Quia Missale est ad vnguem obseruandum. Ex declarat. Card. *p. 2. tr. 14. ref. 40.*

15 Non peccat mortaliter, qui in Canone omittit vnum aliquem Sanctorum; velea quæ tempore Paschali interponuntur in *Communicantes*, aut in actione, *Hanc igitur.* Item neque qui *Gloria seu Credo.* Filiuc. neque si post Epistolam omittat graduale. Idemque est si parua aliqua oratio addatur ex devotione, & non recitetur altâ voce coram populo. *Huc ad ibid. ref. 49. & 59.*  
*part. 5.*

part.5. tract.5. resol.45. & 63.

16 Sacerdos nouam Missam celebrans potest se in medio altari ad populum conuertere, & oblationes accipere. Ita Cong. Cardinal. p.2. tr.14. ref.50.

17 Potest Sacerdos oblatione iam factâ, paruam hostiam ad communicaendum laicum consecrare, modò affertur paulò post oblationem. Gauant. & Posseuin. imò etsi post præfationem. Marchin. & Megal. Item probabile est posse Sacerdotem deficienibus partculis; hostiæ suæ partem alteri portigere. Syluest. & alij 6 ibid. ref.71. & 37. & p.5 tr.3. ref.54. & p.6 tr.6. ref.7.

18 Hostiæ minores quæ possitæ sunt in cornu altaris, vel extra corporale, non sunt consecratæ, etsi Sacerdos habuerit antè intentionem eas simul consecrandi. Suar. & alij 2. sed contrarium non est improbabile. Præpos. & alij 2. p.3. tr.6. ref.103. & p.5. tr.14. ref.19.

19 Sacerdos non potest minores hostias post consecrationem ponere extra aram, & multò minus dare alteri distribuendas, nisi post communionem in Missâ, sicut non posset ex suâ hostiæ alteri dare partem ante finem sacrificij; omnes enim illæ hostiæ cū maiori sunt

sunt vnum sacrificium. Lugo. p. 5. tr. 13.

ref. 72.

20 Sacerdos non potest hostiam à se  
consecratam deponere in sacrarium, &  
sumere aliquam ex præconsecratis:  
quia ad integratatem sacrificij spectat  
sumptio hostiæ tunc consecratæ. Lugo  
& alij. ibid. ref. 96. Posset tamen ex iu-  
stâ causâ celebrare cum hostiâ minori  
qualis solet dari laicis, quando non  
posset haberi maior. p. 6. tr. 7. ref. 17.

21 Qui in calice misceret aquam ro-  
saceam, aut aliam artificialem, et si va-  
lidè consecraret, peccaret mortaliter.  
(D. Thom. & Molan.) etiam in casu ne-  
cessitatis. (Persic.) et si tunc id neget  
Palud. Imò & mortale esse miscere a-  
quam calidam affirmat Fagund. &  
Persic. Posset tamen sine peccato fieri  
quando in aliquâ regione valde frigi-  
dâ esset ea consuetudo ne vinum con-  
geletur p. 6. tr. 7. ref. 18.

22 Non est quod Sacerdos sit nimium  
anxious circa infusionem aquæ in cali-  
cem; nam licet plures guttas infundat,  
aqua quaæ ante consecrationem non est  
in vinum conuersa, immediatè in  
Christi sanguinem conuertitur. Coninc  
& alij, quantumuis autem parum in-

E e fundi

fundi debet; si omittatur non potest censeri materia parua, propter mysterium, & significationem. Lugo. p. 3. tr. 4. ref. 49. & p. 5. tr. 5. ref. 56.

23 Virgente graui necessitate, potest sine ministro celebrari; Villalob. & alij 3. neque f. mina ad ministrandum est villo modo adhibenda. Suarez & alij 9. vti & in casu necessitatis potest cum stolâ, manipulo, aut cingulo non benedictis, aut etiam sine aliquo ex iis. Suarez & alij 4 p. 2. tr. 14. ref. 43. 44 & 57.

24 Sacerdos ob infirmam valetudinem non potest celebrare operto capite sine licentiâ Episcopi: (Henriq. & alij 4.) si tamen faceret, secluso scando & contemptu, non peccat mortaliter. Ledesm. *ibid.* ref. 58.

25 Sacerdos non peccat mortaliter si celebret sine Missali, quando id non adest, modò confidat se integrè omnia recitaturum (Laym. & alij 2) Neque si celebret in necessitate cum uno lumine ex oleo, aut adipe. (Azor. & alij 6.) sed peccaret mortaliter sine iusta causâ extra Ecclesiam celebrans. Filiuc. & alij 4. *ibid* ref. 46. 45. & 38.

26 Qui habuit licentiam à Pontifice celebrandi in Oratorio domus sue Normi,

normi , potest vti codem priuilegio, si  
transferat domicilium Messianam: quia  
illud non est priuilegium locate , sed  
personale , vnde & finitur morte eius  
cui concessum est. Nouar. & alij 1. p. 4.  
tr. 4 ref. 208 & p. 6. tr. 8. ref. 1.

27 Quando licet in Oratoriis priua-  
tis celebrare, potest id fieri etiam absen-  
te domino coram eius familiaribus, vel  
domesticis. Et quamuis in priuilegio  
excipientur aliquot festivitates maio-  
res quibus ibi celebrare non liceat, per  
Bullam tamen Cruciatæ tollitur exce-  
ptio. Rodriq. & Trullench. p. 4. tract. 4.  
ref. 13. & 76.

28 Quando aliquis habet priuilegium  
celebrandi in priuato oratorio, vel hoc  
habendi domi suæ, & requiritur appro-  
batio Ordinarij, si hic nolit approbare  
locum qui arbitrio boni viri decens  
est, & idoneus , poterit idem fieri sine  
eius licentiâ. Eud. la Cruz p. 5. tract. 10.  
ref. 76.

29 In nauibus potest celebrari ex li-  
centiâ Episcopi, ne vectores viatico ca-  
reant , vel etiam ne sacro diebus festi-  
vis , modò caueatur effusione calicis.  
Granad. & alij. p. 5. tr. 3. ref. 40.

30 Potest Sacerdos sine scrupulo face-

436 *Missa celebratio.*

re Sacrum ante matutini officij recitationem. Quia preces matutinæ, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neque ullum ordinem. Barbosa & alij 24.p.2.tr.14.ref.;6.

31 Poteſt Missa celebrari ſequihorâ, veletjam duabus horis, ante Solis ortum, & conſequenter Religiosi tribus horis. (Suarez & alij.) Verùm ex alio priuilegio poſſunt horâ ſecundâ poſt mediam noctem celebrare. (La Cruz.) Ad dandam verò communionem infirmo, licet etiam mediâ nocte Sacrum facere. Layman & Victoria *ibid* ref.33.

32 Sacrum poſſe inchoari horâ primâ poſt meridiem docet Ph. La Cruz: quod faltem licet ſi festo die ratione itineris tamdiu quis ſit impeditus. Suar. & alij. Religiosi verò ex suis priuilegiis poſſunt celebrare uſque ad Nonam inclusuē, id eſt, uſque ad tres horas poſt meridiem. La Cruz. *ibid*. ref.34. & p.5. tr.13.ref.7.

33 Poteſt Sacerdos in nocte Natiuitatis tres Missas ante auroram celebrare. Suarez, & alij 9.p.2.tr.14.ref.35.

34 Sacerdos celebrans in peccato mortali non peccat tripliciter, indignè conſecrando, offerendo, & sumendo Chriſti Corpus: quia tres iſti actus ſunt ſibi inui-

inuicem subordinati. Henrīq. & alij 3.  
sicut & Sacerdos excommunicatus ce-  
lebrans, sciens se obstringi vinculo pec-  
cati, & censuræ, non committit duplex  
peccatum. Vasquez *ibid. ref. 24. & 22.*

35 Sacerdos ante Missam confessus, si  
postea peccati alicuius mortalis omissi  
recordatur, non tenetur tunc contri-  
tionis actum elicere, sed tantum postea  
confiteri. Quia peccatum illud fuit iam  
in confessione indirectè remissum. Vas-  
quez & alij 2. Quòd si solùm illius re-  
cordaretur post celebrationem, non  
obligaretur etiam præcepto Trident.  
de eo statim pòst confitendo. Cornejo.  
*ibid. ref. 48. & p. 5. tr. 14. ref. 5. & 6.*

36 Sacerdos non habens copiam Cō-  
fessarij, & urgente necessitate, si non  
præmittit confessionem antequam ce-  
lebret, cùm sibi sit conscius peccati  
mortalis; tenetur quamprimum confi-  
teri. Ex decreto Trident. Imò qui sic  
confessus esset reseruata, teneretur eo-  
dem præcepto illa quamprimum post-  
ea confiteri Superiori. Lugo. Quidam  
tamen illud, quamprimum, probabiliter  
exponunt, vt idem sit quod antequam  
iterum celebret. (Fagund. & alij 2.) A-  
lij etiam non agnoscunt ibi præceptū,

E e 3 . . . . . sed

sed tantum consilium. (Villalob. & Ledesma) At si bona fide accedit ad altare , absque conscientiam peccati mortalis, ibi autem recordatur alicuius , non tenetur illo precepto. (Vasq. & alij 2.) imo etiam si absque necessitate ex malitia ita celebret. Nugnus. p.2. tract. 14. ref. 60 & 61. & p.5. tr. 13. ref. 64.

37 Sacerdos iter faciens, si copia Confessarij desit , nec adsit aliis Sacerdos qui celebret , potest celebrare contritus , ut satisfaciat precepto audiendi Missam, vel ut alij satisficiant, quamuis ipse non sit eorum Parochus. Henr. & alij 5. Item ut ipse , vel alij impleant præceptum communionis Paschalis. Lugo & alij 2. p.2. tr. 14. ref. 63. & 64. & p.5 tr. 13. ref. 63.

38 Sacrificium Missæ ex opere operato remittit peccata venialia. Nugnus. p.3. tr. 4. ref. 39.

*Stipendium pro Missa.*

39 Episcopi vi Concilij Trident. non possunt Missas in fundatione appositæ reducere ad minorem numerum. Garsias & alij 9. Possunt tamen Missas alias , ante Concilium, non autem post illud, impositas reducere. Bonacini. & alij. Hæc autem reductio ubi decre-

decretem Concilij est receptum facienda est in Synodo; ubi non est receptū, minimè. Abbates vero & Generales Religionum non possunt absque Capitulo minuere numerum Missarum. Barbos. & alij 3. Porro hæc facultas moderandi Missas comprehendit etiam anniversaria, & officia pro defunctis. Gars. & alij 5. Nec quoad hoc obstat prohibitus Urbani VIII. (Meroll) etsi alij id affirment. Olim licuit Regularibus dispensante Generali, unius Missæ celebrationem cum nouem collectis, satisfacere pro nouem Missis: sed nunc non licet, sacra Congregatione id vetante.  
p. 2 tr. 14 ref. 1. 2. 3. 4. 5 & 6. & p. 6. tr. 6. ref. 10. & tr. 7. ref. 40.

40 Concessit Urbanus VIII. post sua decreta, cuidam Monasterio Minimorum, ut legata perpetua Missarum nimis tenuia, reduci possint ad 50. scudos monetæ Rom. per annum pro qualibet Missâ quotidiana: declarans Missas sic reductas æquè Fundatoribus prodesse, ac si realiter, & cum effectu omnes celebrarentur. Quo priuilegio & aliæ eiusdem Ordinis domus, & aliæ Religiones per communicationem gaudent. Marsh. p. 6. tr. 6. ref. 11.

440 *Stipend. pro Miss<sup>a</sup>.*

41 Missa conuentualis potest applicari alicui qui stipendium dedit. (Leone & alij 2.) Vti & Sacerdotes ordinati quando celebrant cum Episcopo possunt illud sacrificium alteri applicare; sunt enim illius totius causa. Mærat. p. 5. tr. 13. ref. 51. & tr. 14. ref. 12.

42 Si is qui petit Missam, non det stipendium iustum ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, potest Sacerdos à diuersis tot parva accipere, quæ iusta eleemosynæ æquiualeant, & unum tantum pro omnibus sacrificium offerre. Suarez & alij 8. Sed nunc contrarium docet Congreg. Card. apud Bonacin. Quando tamen aliquis reliquit stipendium pro certo numero Missarum, si augetur stipendium Sacerdotibus praestandum, tenetur h[oc]es illam eleemosynam supplere. Barbosa & alij 3. part. 2. tr. 14. ref. 7. & 17 & p. 5. tr. 13. ref. 52.

43 Sacerdos dum accepto stipendio pro aliquo celebrat, non tenetur ei applicare fructum ex opere operantis, vel orationes aliaque quæ in Missâ sunt. Coninc & alij 2. potest etiam partem sacrificij sibi conuenientem alteri applicare, & pro eâ stipendium accipere, non tamen ut pro integro sacrificio,  
Sed.

ica-  
one  
nati-  
pos-  
are;  
rat.  
sti-  
on-  
dos  
istæ  
an-  
rre.  
um  
in.  
en-  
, si  
ra-  
fy-  
. 2.  
dio  
ip-  
vel  
nt.  
em  
p-  
re,  
o,  
ad

sed ut pro vñā tertiâ. Filiuc. & alij. Sed contrarium nunc omnino tenendum propter decreta Urbani VIII. p. 2 tr. 14. ref. 14 & p. 5. tr. 14. ref. 80. & 45. & p. 6. tr. 6. ref. 8.

44 Possè Sacerdotem vnius Missæ fructum satisfactorium applicare vni, & alteri imperatorum, & sic duplex stipendium accipere docet Marchin. sed contrarium est absolute tenendum. Bonacin. & alij 3. p. 6. tr. 6. ref. 9.

45 Sacerdos qui tenetur in aliquâ Ecclesiâ celebrare, pro cultu illius Ecclesiæ, vel commoditate populi tantum, absque obligatione applicandi sacrificiū non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere. Quia cū stipendium detur pro labore, qui est pretio æstimabilis, vna Missa non meretur nisi vnicum stipendium. Ita sac. Congreg. apud Barbos & Gauapt. Contrarium tamen non est improbabile, etiam post decreta Urbani VIII. Homobon. & alij 2. p. 2. tr. 14. ref. 80. & p. 4. tract. 4. ref. 16. Propter idem decretum Cardinal. non potest Sacerdos pro vñā Missâ tot stipendia accipere, quot sufficiant ad eius sustentationem: Quia pro sola Missâ non debetur sustentatio.

*Eccles. Sua-*

442 *Stipend.pro Missa.*

Suarez , & alij 13.etsi non pauci contrarium doceant. Nugaus & alij 13. Neque item diebus festiuis potest duplex stipendum accipere. ita decret. Cardd. eti quidam contrarium docuerint. Hemob. & alij p.2. tr.14 ref.8. & 9.

46 Sacerdos pauper qui hodie non accepit eleemosynam pro Missâ , non potest illam applicare primo daturo stipendum: Id enim repugnat Ecclesiæ consuetudini , damnaturque decreto Cardinal. ex mandato Clement. VIII. Quamuis id affirmer Henr. & alij 6. Quando tamen ex fundatione aliquius Capellæ , statè Missæ sunt singulis hebdomadis celebrandæ , potest Sacerdos antecedente hebdomadâ illas celebrare. Reginald. & alij 3. ib ref.15. & 16.

47 Sacra Congregatio & decretum Urbani VIII omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ remouere volens , prohibet Sacerdoti qui certam eleemosynam accepit pro celebrandâ Missâ , ne eamdem alteri celebrandam committat , parte eleemosynæ sibi retentâ. Hoc tamen non extenditur ad Capellas , quæ habent pingue stipendum , neque enim datur tantum pro Missis dicendis. Qui vero ab amico maius accepit stipendum

dium, si intuitu amicitiae accepit, potest per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio: Si accepit praecisè & simpliciter pro Missâ, nihil sibi debet retinere: nisi Sacerdos cuius opera usus est, sponte id condonet, et si aliqui contraria sentiant. Vasq. & alij 4. ibid. ref. 10. 11. 12. & 13. & p. 6. tr. 8. ref. 10.

48 Sacerdos differens ad longum tempus celeb rationem Missarum quas suscepit peccat mortaliter. ( Bonacin. & alij 2.) Potest tamen simul se obligare ad 50. vel 60. Villalob. & Ledesm. p. 2. tr. 14. ref. 25.

49 Nihil est necesse applicationem Missarum fieri actualiter, aut virtualiter tempore sacrificij; sufficit si pridie Sacerdos applicauerit, dummodo intentione non fuerit postea reuocata Suarez. & alij 5. ibi. ref. 47. & p. 5. tr. 14. ref. 65.

50 Si Sacerdos Regularis applicet Missas contra intentionem Superioris, peccat quidem contra votum; valere tamē applicationē affimat Henr. & alij 5. Negat Scotus & alij 4. p. 2. tr. 14. ref. 72.

51 Qui pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali permissione, posse unica pluribus satisfacere docet Hurt. ex eo quod fructus ex opere

opere-operato, æqualis obueniat singulis, ac si vni tantum applicaretur, inò etsi vni deberet ex stipendio accepto, docet Marchin. Sed an probabiliter, alij iudicent. Certum tamen est non ideo licere pro vnâ Missâ accipere plura stipendia. p.4.tract.4.ref.196. & p.5.tr.14.ref.81. & p.6.tr.6.ref.9.

## Monasterium.

**P**arentes qui cogunt filias impubes intrare Monasterium, ut ibi edacentur, non incurruunt excomm. Concil. Trid. quia parentes habent ius naturale offerendi liberos Religioni, & liberi tenentur obedire parentibus, neque possunt ante annos pubertatis inde exire. At si puberes cogantur intrare, id est, post annum ætatis 12. qui cogunt, incidunt in excomm. etiam si non iubeant illas ingredi, ut habitum suscipiant, neque ut professionem emitant, sed solum ut ibi maneant, quoad detur occasio nubendi. Nauar. & alij; etsi etiam probabiliter posterius hoc neget Suarez. p.2.tr.15.ref.56.

**2** Monialis quæ voluitur cum rota ad eam partem ad quam sœculares accedunt,

dunt, non violat clausuram ob paruitatem materiae. (Bonacin.) At si extra limen ianuę utrumque pedem efferat, sufficiens est ad culpam lethalem, & ad censuras incurandas; secus autem si alterum pedem intra limen retineat. Sanchez & Bonacin. Idemque est de externis Monasterium ingredientibus.

p.3. tr. 2. re. 52. At si ingressus esset solum ad duos pedes, & breuis moræ, vel si sic egredieretur monialis, censeri posset leuis violatio clausura, & venialis. Nald. & Merol. p.5. tr. 5. ref. 22. Quod si Monialis ascenderet super regulas monasterij non violaret clausuram. Lopez. p.5. tr. 13. ref. 88.

3 Feminæ prohibentur sub mortali, & excomm. ingredi in Monasteria viorum, ex Bulla Pij V. Bonacin. Et si id negent Suar. & Laym. p.4. tr. 4. ref. 179.

4 Ingredientes Monasteria Monialiū non praetextu licentiarum, sed absque ullâ licentiâ, etiam ad malum finem, non incurront excomm. Gregor. XIII. quia ille casus non continetur in Bullâ. Sanchez & alij 9. Neque Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij, praetextu licentiarum, etiam ob malum finem: quia Bulla loquitur de

Ab-

Abbatibus, & Abbatissis : nulla autem de Monialibus fit mentio. Sanc. & alij 2.p.2.tr.16.ref.30.31. & 32.

5 Licentia ingrediendi Monasteria Monialium habenda est scripto, præterquam in casibus ordinariis quoad medicos, chirurgos, &c. quibus Abbatilla potest dare licentiam verbo. Suarez & Sanchez. quamuis generatim id negent Homob & Belloch. p.3. tr.2. ref.129.

6 Confessarius Regularis, qui cum licentiâ accersitur ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, statim à confessione debet egredi. Sanchez. erit tamen materia parua, si postea per quadriantem horæ immoretur, vt curiositatis causâ inuisat officinas, vel ex simili fine non malo. (Villalob.) Quāuis autem immoraretur diutius etiam ob finem malum, non tamen incurret excomm. Gregorij XIII. quia lata est contra ingredientes sine licentiâ, talis autem ingressus est cum licentiâ. Sanchez. ibid. ref.51. & 67.

7 Non licet Episcopis permittere mulieribus ob suspicionem adulterij, vel rixas cum viris, vt in Monasterium secesserint securitatis causâ, et si pericu-

lum

lum vix timerent. Portel. & Rodriq.  
ibid.ref.130.

8 Decretum Pij V. quo sit potestas  
Monialibus excundi è Monasterio pro-  
pter lepram, vel epidimiam, seu pestem,  
potest extendi ad alios morbos illis si-  
miles. quare potest illis concedi licentia  
exeundi, ut medeantur morbo à quo  
aliás earum salus periclitaretur. Suarez  
& alij. ibid. 105 & p. 2. tr. 15. ref. 23. quam-  
uis contraria sententia probabilior sit,  
& communior. p. 5. tr. 3. ref. 137.

9 Decretum Cardinalium contra Re-  
ligiosos accedentes ad loquendum cum  
Monialibus, ubi est in vsu, obligat ad  
p.m. Salas & alij; p. 1. tr. 10. ref. 12.

10 Regularis accedens ad Monaste-  
rium Monialium sine licentiâ non in-  
currit excomm. ab Episcopo latam;  
propter privilegium quo Regulares  
eximuntur ab excommun. Episcopi.  
Suarez & Rodriguez. p. 3. tr. 2. ref. 103.

11 Incurrit in excomm. qui sine licen-  
tiâ Ordinarij loquitur cum Moniali,  
hac nihil respondente. Item qui solis  
nutibus & signis, (Graffius.) non tamē  
qui per interpretem loqueretur eā lin-  
guā quam ipsa non intelligeret. Exci-  
pe. i. pueros ante annum 14. comple-  
tum.

rum. 2. aduenas & peregrinos cum iis loquentes in ciuitate, vbi domicilium non habent. 3. Episcopos. 4. colloquentes cum Nouitiâ, vel Abbatissâ, hæc enim in odiosis non veniunt nomine Monialium. 5. loquentes per internuntium, vel epistolam. 6. si collocutio sit de rebus indifferentibus per spatium viii. Miserere, vel paulò amplius, ratione paruitatis materiæ excusat, ab excomm. Item non est necesse ab Ordinario licentiam illam habere scripto. *ibid. ref. 48.*

12. Introducentes feminas in monasterium, incurruunt in excomm. & pœnam privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa; non tamen absque Iudicis sententiâ Sanchez. *ibid. ref. 66.*

13. Potest Episcopus vigore Concil. Trid. absoluere ab excomm. eum, qui Monasterium ingressus cum sacrâ virginie commisit incestum, modò res sit occulta. Sanch. & alij 4. p. 2. tr. 16. ref. 33.

*Mutuum.*

1. **Q**ui dat mutuum, potest pacisci cum mutuatario ut statim sibi lucrum reddat ex illo mutuo, his duobus

bus modis, 1. mutuando v.g. 100. aureos eâ lege , vt statim mutuatarius reddat 9. ratione lucri cessantis ex 91. quos ipse retinet: quod facere potest sine usurâ; quia nihil est aliud quâm mutuare 91. cum interesse , & alios 9. sine interesse, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum interesse proueniens ex 91. quos mutuatarius accepit mutuos. (Lessius) 2. modus est, si mutuans non accipiat illud lucrum cessans ex ipsâ pecuniae summa; sed in oleo, frumento, vino, &c. Salas & Azor. part. 2. tr. 15. ref. 50.

2. Potest mutuans aliquid exigere propter verum periculum amittendi debiti: quia hoc pertinet ad indemnitatē mutuantis: idem est de venditore ad creditum. Salas & alij 3. p. 1. tr. 8. ref. 37.

3. Si mutuanti notabile aliquod damnum emergat ex mutuo, antequam mutuatarius sit in mora soluendi, non tenetur hic illud damnum retarcire; quia non accepit mutuum cum hoc onere. Lessius & alij 3. ibid. ref. 71.

4. Non licet mutuanti percipere lucrū cessans ex mutuo, si aliunde compensatur alio lucro. Molina & alij 2. ibid. resol 34.

F F

S S

5 Si quis mutuas dedit alteri pecunias cum obligatione non repetendi ante biennium , posse aliquid accipere ratione illius obligationis non repetendi, affirmat Ledesm. & Cælestin. quamvis alij communiter negent. *ibid. ref. 48.*  
*& p. 5 tr. 13. ref. 50.*

6 Qui nouit valorem pecuniae breui minuendum, potest illam alteri mutuare cū pacto , vt eam sibi restituat iurta valorem quem tunc habebit. Bonacim.  
 & Reginald. *p. 1. tr. 8. ref. 25.*

7 Quando mercator non vult mutuare, sed creditò merces offert, & vendit summo pretio , vt emptor eas vendat cui voluerit , potest ille ipse mercator eas statim redimere pecuniâ numeratâ , pretio medio , vel infimo , modo non intercesserit pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo , & modo intra limites iusti pretij constat. Lessius & alij 7. *ibid. ref. 33. & 58.*

8 Vide *Vsura.*

N

## NOVITIVS.

1 Si quis breui tempore in sæculo m̄nēs sua debita soluere possit, putā